4
18

DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA

De

HYDROPE VTERI

Qvam,

DEI TER OPTIMI MAXIMI
FRETVS PRÆSIDIO,
EX DECRETO
GRATIOSÆ
FACVLTATIS MEDICÆ
in
VNIVERSITATE ALTDORFINA,
PRO LICENTIA,
SVMMOS IN ARTE MEDICA
HONORES ET IMMVNITATES
DOCTORALES
ritè obtinendi,
Ad diem XXI. *Januar.*
cIↄ Iↄ CCIX.
Publicæ & ſolenni cenſuræ
exponet

JOH. SEBASTIANVS VBELMANN,
Coburgenſis.

Literis MAGNI DANIELIS MEYERI.

PROOEMIVM.

S*Citè non minus quàm verè* Hippocrates in peculiari tractatu de muliebri naturâ & morbis *cenſuit*, maximè quidem Numen in hominibus cauſam eſſe, poſtea verò naturas mulierum, & colores, *moxq; addidit*, oportere eum, qui hæc rectè tractare velit, primùm quidem ex Diis ordiri, deinde mulierum naturas diſcernere, itemque ætates, & tempora, & locos in quibuscunque degant. *Sanè enim ſicuti* τὸ Θεῖον *rectiſſimè vocatur principium univerſale omnium motuum corporeorum, tàm naturalium, quàm præternaturalium, ita idem ad muliebrium corporum diathesin & diſpoſitionem concurrere, neceſſe eſt, dum deinde naturas ipſas mulierum in temperamento, diverſâ humorum ſpirituumq; craſi, motionibus, partiumq; conformatione mechanica, potiſſimum fundatas, à cauſis verò concurrentibus externis variè determinatas, omninò ad morborum geneſin ſymbolum ſuum conferre, indubitatæ videtur eſſe veritatis. Jam verò inter morbos muliebres, ſi quisquam cognitu difficilis, curâ arduus, is ſanè* HYDROPS VTERI *dici meretur, ut Hippocrates etiam primum ſtatim l.c. eundem propoſuerit : quem ipſum ideò dum in præſente* Diſputatione Inaugurali ex Decreto GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ ALTDORFINÆ, *pertractandum ſumere mecum conſtitui, negocium hocce non juxta Hippocratis regulam* ἐκ τῶν Θεῶν ἄρχεσθαι, *quin à* DEO Trinuno, Optimo, Maximo, *rerum nunc peragendarum primordia capere, chriſtiana pietas jubet; Hic verò ingenio meo largiatur vires, ut bene diſcernam, quæ ad clariorem affectus dicti noticiam facere & in humani generis emolumentum cedere poterunt.*

THESIS I.

NOlo autem ſub initium prolixam impendere operam in recenſenda ONOMATOLOGIA, cùm EANDEM Doctores celeberrimi jamdùm abundè tradiderint, utpote à quibus edoctus ſum, nomen ὕδρωψ, origine græcum, ἀπὸ τοῦ ὕδατος ab aqua derivatum eſſe, ſimiliter ὑδρώπισις ac ὑδερίασις ac ὕδερος apud Græcanicos legi, idemque nomen in forum latinum translatum, *Hydrops* ſimiliter enunciari; ab Hippocrate verò nomen ὕδρωψ pro ipſo ſero & ichore lib. IV. de morb. I. 17. IX. 1. XXV. 34. ac lib. II. de morbis XVI. 10. quandoque accipi; ſicuti pro more ſuo accuratiſſimè oſtendit *Vir Prænobiliſſimus, Excellentiſſimus & Experientiſſimus*, D. D. JACOBUS PANCRATIUS BRUNO, *totius Univerſitatis ac Facultatis Medicæ Senior, hujusq; Profeſſor primarius, Illuſtris S. R. I. Reipublicæ Noribergenſis Archiater ac Poliater Altdorffinus, famâ ſuper æthera notus, Dn. Patronus & Præceptor perpetuò animi cultu ſuſpiciendus* in Amalthæo p. 479.

II.

Adeoque cum *nomen* propoſitum habeatur ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, à me illud deſignatum eſt μετὰ προσθήκης, *quatenus eſt certæ parti proprium*, nempè *hydrops uteri*; cùmque hydropis communiter tres recenſeantur ſpecies, aſcites, tympanites & anaſarca, me de *aſcite* ſive *hydrope humido uteri* hîc locuturum præmonendum eſt, ſub quo ſcilicet uterus ad inſtar τοῦ ἀσκοῦ utris in modum diſtentus & intumefactus deprehenditur.

III. Cla-

III.

Clarioris igitur doctrinæ gratia hydropem uteri præſentem ita definire placet: *Hydrops uteri eſt tumor uteri ejusdemq; appendicum præternaturalis, aquoſus, à vitioſa ſeri lymphatici illûc facta congeſtione, decubitu, retentione, ac impedito refluxu, enatus.*

IV.

Hinc ſtatim patet ad quam *morborum claſſem affectus iſte* referendus ſit, ſcilicet ad *ſecundam*, quæ *morbos auctæ magnitudinis* complectitur; generis ſiquidem locum occupat *tumor* præternaturalis, dum *differentiam addita ejusdem qualitas* ſeu *forma*, *loca affecta* & *cauſa*, *modusque generationis* innuunt.

V.

Subjectum adæquatum exiſtit uterus ejusdemque appendices. Et uterus quidem in abdominis pelvi, (illa ſcilicet cavitate à ſacro & innominatis oſſibus efformata, ſive fœtus conformationem & incrementum, ſive ejusdem in brevis vitæ uſuram excluſionem ſpectes commodiſſimâ) medio inter veſicam urinariam incumbentem, & inteſtinum rectum ſuccumbens, loco ſitus, ſubſtantiamque extenſioni non minus, quam contractioni idoneam nactus, ex duplicis membranæ complexu efformatur, quarum exterior communis peritonæi quædam continuatio uterum inteſtino recto, veſicæ & reliquis adjacentibus partibus annectit, interior propria nervea, lævis admodum & glabra; quâ parte uteri fundum inveſtit, ſed quâ parte collum attingit rugoſa ac multis foraminulis pervia ſpectatur, utramque autem intercedit circa fundum præcipuè & cervicem notabilis fibrarum carnoſarum motricium longitudinalium, transverſarum & decuſſantium ſub

membranæ diſtinctæ, (ſi cautè ſeparentur,) ſpecie obvenientium contextus, interſperſis glandulis veſicularibus minimis; liceat ita hucûsque verba mea facere, quibus ἀκριβῶς uterum delineavit *Vir Prænobiliſſimus, Excellentiſſimus ac Experientisſimus Dominus* JOHANNES MAURICIUS HOFFMANNUS, *Philoſ. & Medicin. Doctor undiquâq; celeberrimus, Seren.*rum *Marchionis Onoldo-Brandenburgici & Ducis Solisbaco-Palatini Conſiliarius & Archiater ſpectatisſimus, Anatom. Botan. & Chem. P.P. nec non Illuſtr. Reipubl. Noribergenſ. Medicus, Academ. Leopoldino-Imperialis Nat. Curioſ. Adjunctus longè meritisſimus, Dn. Patronus, Affinis, Præceptor & Hoſpes quondam, omni obſervantiæ honorisq; cultu ad cineres usq; Parentis locô colendus*, in Diſſertationibus ſuis Anatomico-Phyſiologicis ad *Joh. van Horne* microcoſmum annotatis p. 286. & in Idæa machinæ humanæ anatomico-phyſiologica Sect. XII. §. 10. p. 97.

VI.

Per *uteri appendices* intellectas volo *ligamenta ejusdem lata & teretia, oviductus ſeu tubas Fallopianas*, & præcipuè *ovarium* ſive *teſtes muliebres* cum ſuis *ovulis*, atque præternaturaliter quandoque ibidem conſpiciendis *hydatidibus*, de quibus modò citatus laudatiſſimus D. D. HOFFMANNUS in Diſſertationibus Anatomico-phyſiologicis allegatis p. 279. & in disquiſitionis corporis humani anatomico-pathologicæ ſpecimine IX. §. 3. p. 115. videatur; Conf. Celeb. *Pechlini* Obſ. Phyſico-Medicarum lib. I. Obſ. XIX. cum annexâ figurâ. Enumeratæ ſiquidem partes aut à colluvie ſeroſa quandoque ſimul aut ſeorſim inundantur, aut in ſeri lymphatici peccantis extravaſatione culpam habent noxiam.

VII.

Vaſa quoque conſideranda obveniunt uterina, nimirum

mirum *arteriæ à ſpermaticis* & *hypogaſtricis* dimiſſæ, mutuis inoſculationibus ſibi ex utroque latere junctæ, dein *venæ à ſpermaticis hypogaſtricisq́;* pariter propagatæ, & per anaſtomoſes pariter plurimis in locis ſibi mutuò conjunctæ, tùm *nervi ab octavo pari* Williſiano, communiter *vago* denominato, & *oſſis ſacri nervis* eoûsque exporrecti, quibus adjungere omninò licebit *vaſa lymphatica*, etſi nondum adeò diſtinctè in humano ac brutorum genere detecta. Et enumerata quidem vaſa hîc attendi merentur, quatenus vel cum ſanguine crudas & indigeſtas vel ſeroſas exuperantes morbiferas particulas ad uterum advehunt, hîcque deponunt, uti arteriæ, vel easdem non ſub ordinario commeatu reciproco revehunt, uti venæ & vaſa lymphatica, quorum poſtremorum obſtructio, aut ruptura, aut eroſio ſingulatim noxia eſſe poterit, dum nervi etiam culpam aliquam in ſe devolvere poterunt, ſi ſanguinis, chyli, ac lymphæ excitandæ fluxilitati aut elaſticitati fluido ſuo æthereo ſpirituoſo haud ſuccurrerint.

VIII.

Locum autem *collectionis ſeri lymphatici ſpecialem* nunc conſtituit *uteri cavitas* media, nunc *ejusdem ſubſtantia* ex membranaceo-carnoſo-glanduloſo contextu producta, nunc *appendices*, & ſingulatim *tubæ* juxta *Nicolaum Tulpium* Obſerv. Cent. IV. Cap. XLV. & Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. II. Obſ. XCV. in ſcholio, vel *ovarium*, ſicuti teſtantur Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. IX. Obſerv. LXXXVI. Decur. II. Ann. X. Obſerv. XXVII. Cl. *Harderi* in apiario Obſerv. LXXXVII. Dn. Lic. *Schorncopff.* in Diſp. Inaugurali de hydrope ovarii muliebris §. XVI. Dn. D. *Brendel* in diſput. ſimilis argumenti Reſpondente J. C. Huth. Vitembergæ A. cIↃIↃCCI habitâ.

IX. Cau-

IX.

Cauſa proxima & immediata eſt vitioſa ſeri lymphatici in utero ejusque appendicibus facta congeſtio, decubitus, retentio, ac impeditus vel interruptus refluxus: congeſtio, decubitus & retentio fit, dum fibræ ibidem diſpoſitæ membranaceæ ac carnoſæ nec non glandulæ debiliores ac laxiores ſerum lymphaticum uberius promtius ſuſcipiunt ac imbibunt, nec debitâ ſtricturâ ad vaſa revehentia amandant; refluxus autem impeditur, quando pororum, meatuum ac tubulorum, per quos commeatus reciprocus ſeri lymphatici aliàs fieri debebat, ordo, ſitus ac configuratio turbata, aut venæ & lymphatica vaſa obſtructa, aut hæc poſtrema itemque hydatides rupta, eroſa, aut quocunque demum modo ſolutionem continui paſſa ſunt, ita ut lympha ab utero & ejus partibus verſus receptaculum per glandulas quasdam intermedias reduci nequeat, aut quando ipſummet ſerum lymphaticum propter lentorem, viſcoſitatem, cruditatemque ad vaſa revehentia motum ſuum haud proſequitur, quia in mediâ quaſi viâ intercipitur.

X.

Cauſæ antecedentes ſive *mediatæ propinquæ* obveniunt multiplices, videlicet, ſeri lymphatici in corpore exuperantia, deficiens ſpirituaſcentia, & contra præſens cruditas pituitoſa, viſcoſa, lenta, tenax, culpâ ventriculi, epatis, lienis, renum, &c. inducta; hydatides hinc inde emergentes, ad rupturam proximæ, partus prægreſſus frequens difficilis, vel abortus, contuſio, onerum ponderoſorum geſtatio, lapſus, ictus, vulnus, ulcus, inflammatio, ſcirrhus, ſimilesque morbi prævii, ob violentiam uterinis partibus noxii. Sunt

qui

qui hîc ulterius accuſandum putant temperamentum vel ſeroſum vel pituitoſum, frigidum & humidum, ac calidi nativi pauperiem; vid. *Bartholin.* Tract. de Vaſis lymphaticis in homine c. 4. 5. 6. p. 167. & in Spicileg. 2. de vaſis lymphaticis c. 5. p. 492. Confluunt autem eò citius ac facilius ejusmodi ſeri hydropici rivuli ad uterum, quando feminæ ad hoc mali genus ex diſpoſitione hæreditaria proclives ſunt; dum ceteroquin nec ſexus, nec ætas ullâ hîc gaudet immunitate vel prærogativâ, ſed utrobique juxta *Horat.* lib. XXI. Od. 7.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops.

XI.

Nec minus ad geneſin noſtri affectus plurimum adminiculum ſubminiſtrant *res nonnaturales* Medicis communiter dictæ: ſingulatim *aër* paludoſus, craſſus, frigidus & nocturnus, corpore æſtuante repentè admiſſus; *cibi* κακόχυμοι καὶ δύσπεπτοι, in quantitate nimia & inordinato tempore devorati, fructus multum ſucci crudi & aquoſi continentes. e. g. melones, cucumeres, citrulli, aliique horæi immodicè comeſti, abuſus aquarum ardentium ſerum in coagulum ſeu offam albam coagulantium, aut *potus* frigidi corpore calefacto ingurgitatio, *nimia corporis exercitatio*, adhuc incoctis cibis ſuſcepta, qua chylus crudus & viſcidus in vaſa lymphatico-lactea impellitur, aut *vita nimium deſes & ignava* lympham tenacem crudamq; relinquens; *Somnus* ultra modum protractus, fœcunda pituitæ mater; *excernenda* per menſes, aut lochia, aut urinam, aut ſudorem ſuppreſſa, & vice verſa ſanguinis eruptiones nimiæ, utpote ex quibus hydropem accelerari *Hippocrat.* VI. Epidem. Sect. IV. text. XXIX. annotavit,

& Sect.

& Sect. V. Aphor. LVII. tacitè innuit. Inter *animi* denique *pathemata* noxia meritò cenſetur triſtitia, mœror diuturnus, & curæ graves, fluidorum circulum turbantes, & ſeri lymphatici extravaſationi occaſionem præbentes; *medicamenta* interna vel externa *adſtringentia* incautè admiſſa; *purgantia acriora colliquativa* crebrius uſurpata, demum nimiæ per *venæſectionem* aut *ſcarificationem* minus circumſpectam inſtitutæ nectaris vitalis ſanguinei profuſiones.

XII.

Diagnoſtica Signa, partim *pathognomonica*, affectum ipſum ſc. *hydropem uteri præſentem* commonſtrant, partim *diſtinctiva* eundem ab aliis morbis vel conſtitutionibus corporis diſcerni faciunt. Prioris ordinis ſigna *Hippocrat.* in libro de natura muliebri n. 11. recenſet ſequentia: *Si aqua*, ait, *intercus in uteris oboriatur, menſes pauciores ac deteriores fiunt, deinde derepentè deficiunt & venter intumeſcit, & mammæ ſiccæ fiunt, reliqua malè habet, & in ventre ſibi habere videtur, & ex his cognoſces, quod aqua intercutem laboret, ſed & in ore uterorum ſignificationem de ſe præbet, tangentibus enim gracile apparet, & calor & aqua ipſum corrumpit, quum autem tempus amplius proceſſerit, dolor imum ventrem & lumbos ac laterum mollitudinem occupat.* Oportet tamen alia cum hisce ſimul indagare *ſigna*, & quidem primò, *utrùm ſerum lymphaticum, culpâ aliarum partium quantitate & qualitate vitioſum, uterum in ſe naturaliter conſtitutum per ſympathiam ſaltem afficiat?* talia verò ſuggerunt actiones læſæ aut ſymptomata reliqua in aliis partibus notata, quibus demum ſeſe adjunxit, aut ſucceſſit, aut una cum illis increvit uteri hydrops: hinc ſi ejusmodi ſigna nulla apparuerint, & rectè vel mediocriter

certè

certè valente corpore hydropicus uteri tumor ſeſe in conſpectum dederit, nec minus particularia uteri pathemata morbida præceſſerint, tunc uterum idiopathicè & principaliter affectum eſſe colligere licebit.

XIII.

Adhæc artificiali per ſigna conjecturâ indagandum erit, num *ſerum lymphaticum vel intra ſubſtantiæ uterinæ ambitum vel cavum medium* detineatur? Ubi quidem communiter Doctores autumant, quod ibi membranarum ab invicem disjuncto complexu dolor oboriatur magis exquiſitus, & orificium uteri internum deprehendatur apertum; hîc verò tumor exſurgat amplior, cruciatus concurrat minor, tùm ſenſus fluctuationis alicujus intra uterum animadvertatur, & orificii uterini interni obſtructio aut conſtrictio ſpasmodica notetur.

XIV.

Maximoperè autem ſciſcitari oportebit illa *ſigna*, quibus mediantibus *uteri hydrops ab ingravidatione*, itemque *ab hydrope abdominis, tùm & ab aliis tumoribus circa uterum generari ſolitis*, dijudicari queat? Liceat verò mihi, per experientiam nondum ſatis ejusmodi ſignorum gnaro, ex *Joh. Varandæi* Tract. de morbis mulierum lib. I. C. VIII. p. 162. & ſeqq. eadem huc excerpere. Graviditatem itaque, is ſcribit, veram ab hydrope uteri in muliere incommoda valetudine utente ita diſtinguemus, *primò*, quod vera graviditas non facit tumorem præter naturam ita æqualem, ut iſte hydrops, ſed acuminatum & quaſi faſtigioſum, cùm hydrops ſit extenſus uniformiter per uteri corpus; *ſecundò*, quod in graviditate poſt aliquot menſes melius ſeſe habere ſoleant mulieres utplurimum, quia grandior fœtus jam abſumit majorem humorum partem, qui illi nego-

tium faceſſebant, quum per tumores iſtos præter naturam, quo diuturnior eſt progreſſus, eò magis ſymptomata intenduntur; deinde quod in prægnatione motus infantis ſenſibiliter poſt tertium aut quartum menſem percipitur, non ſolùm à gravidâ muliere, ſed etiam obſtetrice vel Medicô, qui ventri manum diutius admoverit, isque non uti in ſola palpitatione, quam flatus etiam ſolus excitare poteſt, ſed oblongior & uniformis, ſub quo ſentitur major renitentia, quàm dum ſaltem ſubeſt flatus vel aqua: *tertiò* denique, quod conſtitutio mammarum omninò alia in gravida muliere, quàm in eâ, quæ iſtos uteri tumores patitur; etenim in gravidis mammæ tumidiores & rotundiores redduntur; quæ in iſtis affectibus flacceſcunt, omninò decolorantur, & omni ſucco ſaltem alibili deſtitutæ apparent. *Hydrops* verò *univerſalis* ſive ſit aſcites ſive tympanites dignoſcitur *ab iſto hydrope particulari matricis* tàm flatuoſo, quàm ſeroſo, ſi ſit ſolitarius, aliàs enim pereunt omnia ſigna diſtinctiva utriusque, quia tumor iſte magis eſt compoſitus in aqualiculo & fundo ventris ſive hypogaſtrio, ubi ſitus eſt uterus, quam in ſuperiori abdominis parte, à qua potius incipit univerſalis hydrops, actiones totius ſanguificationis & nutritionis in corpore non apparent hîc ita læſæ, uti in univerſali, neque tantoperè aut tàm ſubitò decolorantur iſtæ mulieres, aut tùm extenuantur partibus ſuperioribus, ſitis illa & ariditas linguæ, quæ ſequitur hydropem abdominis, non ita urget, & alia communia ſymptomata valdè ſunt mitiora; quod ſi verò hydrops iſte uteri ab aquoſo humore pendeat, ferè affluit hujus aquæ quædam portio per vulvam, quâ irrigantur perpetuò genitalia, ſi à flatu exiſtat, etiam per intervalla quidam

flatus

flatus quaſi ſtrependo per orificium uteri erumpit; denique non eſt tanta fluctuatio in aquoſo, dum convertuntur ad latera, neque renitentia in flatuoſo per totum ventrem, ut in univerſali hydrope, quibus notis ab invicem discernuntur, Denique *ab aliis uteri tumoribus* diſtinguitur hydrops, tùm *phlegmonoſo & eryſipelatoſo*, quod febris dolor intenſus & inflammatio partium genitalium abſit, tùm *ſcirrhoſo*, *cancroſo* & ſimilibus, quod non ſit ea durities, quæ tangentis digito reſiſtat, ſed cadat potius, & quaſi in foveam deprimatur; habet enim ſuam propriam idæam, quam ſolers Medicus animo concipiens non fallitur circa particularem illam diagnoſin, de quâ ſatis ſuperque dictum ſit. Ceterum autem à *molâ* etiam diſcerni debet uteri hydrops, quod quidem facilè fit, dummodò Medicus advertat molam revoluto corpore ſimul in alterutrum latus delabi, pondus ſimul majus in regione hypogaſtrica vel inguinali percipi, contrectatum manibus tumorem majori contranitentiâ opponi; contra in hydrope ejusmodi gravitatis ſenſum latius perſentiri, tumorem cum fluctuatione tangentibus quodammodò ſubduci, & nullum lac in mammis deprehendi, quod tamen ſub molâ in mammis colligi conſuevit.

XV.

Jam verò inſuper plurimum difficultatis involvere crediderim, *ut uteri ipſius hydrops à tubæ vel ovarii hydrope discernatur;* ex Practicis igitur obſervationibus ſciendum, hydropem tubarum ſive oviductuum per tumorem inguinalem ſe prodere, figuram ſemicircularem habere, & compreſſo muſculo pſoas corporis erectionem ac progreſſum impedire, vid. Cl. *Brechfeldt* Obſervat. CIII. p. 194. & ſeqq. in *Actis Hafnienſibus* Anno 1671.

 & 1672.

& 1672. hydropem autem ovarii per tumorem hypochondrii affecti cum inæqualitate rotundum primùm apparere, ſtipatum gravitate illarum partium, in quibus ovarium recumbit, in principio doloris expertem, tractu temporis autem condoleſcentem, hinc ſecum propter factam nervulorum ac tubulorum ſanguiferorum compreſſionem ſtuporem & contabeſcentiam pedis, tùm propter diſtentionem lumborum lancinationes ſecum inferentem; ſupervenit veſicæ coarctatio & inde mingendi difficultas cum ardore ⊡æ, erumpunt in emunctorio univerſali tumori contiguo diſtinctæ variis coloribus maculæ, propter cohibitum ſanguinis & lymphæ motum, ſecedentibus particulis quibusdam 🜍eo- 🜔ino- 🜄eis mox in coagulum abeuntibus imputandæ; ceſſant menſes, ſicque conceptionis falsâ ſpe decipiuntur feminæ, dum ſero lymphatico diluente ad ovarium collecto privatus ſanguis uterinus tubulos uterinos excretorios pertranſire nequit, aut ſi poſtea revertantur, eædem dolore cæſim punctimq; vaſa affligente miſerandum in modum excrucientur, ſanguine viſcidiori fibras canaliculosq; ſenſiles diripiente, hinc inquietæ feminæ, ſomni beneficio deſtitutæ, mutato deinde decubitu, modò in dextrum modò in ſiniſtrum revolvuntur latus: ſumit interea incrementum tumor, & manu impulſus magnæ inſtar pilæ provolvitur, imò ſponte ſua pro vario corporis poſitu huc illucve devolvitur, omento verò vel peritonæo, ſi per contactum immediatum coaleſcat, immobilis perſiſtit, demum ad capitis humani magnitudinem ſumto incremento rupturæ proximus habetur.

XVI.

De reliquo notandum, etiamſi *Varandæus* paulò ante

antè allegatus in ea ſit opinione, *verum conceptum, qui ad fœtus perfectionem perveniat, cum hydrope uteri accidere non poſſe*, ſicuti etiam *Sennertus* Medicinæ pract. lib. IV. Part. IV. Sect. II. Cap. XI. affirmavit, ſi mulier poſt conceptionem hydrope uteri corripiatur, fœtum intra duos menſes plerumque ab illuvie aquarum enecari atque ejici, & matrem de vitâ periclitari, vel etiam mori; extant tamen experimenta feminarum, quæ juxta cum hydrope uteri fœtum geſtarunt & juſto tempore vivum partum excluſerunt, ſicuti de propriâ ſuâ uxore id teſtatus eſt *Guilielmus Fabr. Hildanus* Cent. II. Obſerv. LVI. *Jacob. Primeroſius* lib. II. de morbis mulierum cap. VII. p. 104. *Schenckius* Obſerv. p. 260. *Salmuth.* Cent. I. Obſerv. LIX. *Etmullerus* Operum Tom. II. p. m. 1076. & ſeqq. *Bonetus* polyalthes Tom. III. lib. V. de affectibus mulierum cap. X. p. m. 45.

XVII.

Ordine nunc ſequuntur *Signa prognoſtica*, placet autem ſolùm apponere *præcipua*: Nempè enim ſi ſeroſa colluvies intra uteri membranas, tubas, aut ovarium fluctuet, malum utplurimum pertinax deprehenditur, niſi natura per rupturam tumorum ejusmodi ſpontaneam illam protrudere enitatur, aut per periculoſam nec temerè ſuſcipiendam, (ſpeciatim ad imitationem *Brechfeldii* tubæ uterinæ,) paracentheſin eandem quis aperta ſic porta educere tentaverit. *Joh. Fernelius* de partium morbis & ſymptomat. lib. VI c XV. ſingularem obſervationem adducit mulieris cujusdam hydrope correptæ, quæ quoties appetebat menſtrua purgatio, omnem aquarum colluviem ex utero per cervicem profundebat, pelvesque ſex aut octo implebat aquâ citrinâ fervidisſimâ, dum totus venter ſubſideret; mox dein menſes

inſe-

inſequebantur ex naturæ præſcripto, collecta proximo menſe par colluvies ſtato dein tempore profluebat, eademque tandem perſanata uterum geſtavit, peperitque benè vitalem fœtum. Ceteroquin ſi hydropicus uteri tumor à ſero lymphatico blando ac benigno quantitate reſtagnante ſuboriatur, ipſaq; mulier adhuc valida viſceribusque chylificationis & ſanguificationis muneri vacantibus benè conſtitutis gaudeat, ſucceſſu temporis medelæ ſpes adhuc aliqua affulget; ſin ſecus ejusmodi tumor à ſero lymphatico ⊖ino, acri, corroſivo aut putrido, (ceu ex ſymptomatibus pernicioſis & gravioribus conjecturare licet) foveatur, ægraque cachexiæ labe coinquinata ſit, partesque nobiliores in conſenſum trahantur, totius abdominis hydrops, aut anaſarca univerſalis, & conſequenter œconomiæ animalis ruina impendet.

XVIII.

Hiſce ad *Theoriam* propoſiti affectus ſcitu neceſſariis præmiſſis, *Curatio* ſubnectenda venit, ſequentibus ſuperſtruenda *Indicationibus*: I. Ut ſeri lymphatici ulterior ad uterum ejusdemque appendices futurus affluxus prohibeatur; II. Ejusdem illuc jam facta colluvies evacuetur & abſumatur; III. Chyli, lymphæ, ac ſanguinis craſis laudabilis reſtauretur, uteriq; tonus corroboretur.

XIX.

In *executione* verò *prolatarum indicationum* ante omnia attentè conſiderare & indagare Medicum addecet, *numne fortè unà cum hydrope adſit vera ingravidatio*; tali enim in caſu juxta *Etmüllerum* l.c. parum aut nihil agendum, ſed mulier relinquenda erit; exiſtimaverim verò ego *medicamenta fœtum corroborantia* omninò tunc ante omnia in uſum vocanda eſſe, ne vel à diluvio microcosmico uterino

ipſe

ipſe ſubigetur, vel ante tempus abortu rejiciatur; quare matri ſubinde exhiberi poterit Balſamus Embryonum aquâ cinamomi bugloſſatâ aut aqu. cinam. flor. cordial., & ſacchari perlati, vel confectionis alkermes incompletæ tantillo temperatus, item pulvis contra abortum cum pulvere cachectico Quercetani incompleto, aut ♁io ♂li diaphoretico Ludovici, & ſpeciebus cordialibus temperatis, vel ſpeciebus Imperatoris mixtus. Poſtea autem majori cum ſecuritate *pro imminuendo ſeri lymphatici ulteriori ad uterum affluxu* præſcribantur diaphoretica & diuretica blanda, e. g. Decoctum C. C. C. raſp. Rad. Chinæ. Scorzoner. graminis, liquiritiæ, Santal. citrin. Sem. fœnicul. aniſi & paſſularum minorum; Ocul. ♋. præparat. ♁. diaphoret. ſuccin. alb. præparat. milleped. præparat. lumbric. terreſtr. præparat. ♎us ⊖✳ci ſuccinatus, Tinctura ♀i, &c. Porrò equidem *Guil. Fabr. Hildanus* l. c. refert, ſe uxori ſuæ gravidæ ac uteri hydrope ſimul afflictæ, ut materia peccans in corpore diminueretur & evacuaretur, aliquoties infuſionem Rhabarbari & Syrupum roſar. ſolutivum compoſitum cum rhabarbaro, agarico & ſenna exhibuiſſe, utque alvus lubrica eſſet, clyſteribus ac ſuppoſitoriis effeciſſe; ſed nec in tenerioribus mulieribus æmulo conatu purgantia usque adeò ſecura autumo, minore præſertim aut grandiore fœtu, memor moniti *Hippocratici* Sect. V. Aph. XXIX. & Sect. IV. Aph. I. legendi.

XX.

Quod ſi verò hydrops citra conceptum curandus ſit, tunc & *primæ Indicationi* partim per *Evacuantia*, partim per *Alterantia* ſatisfiet: Inter evacuantia utilitatem præſtabunt *Emetica ♁lia*, cruditates ventriculi per gutturis ſuperioris viam breviorem eliminantia, inſimul-

que ſub concuſſione corporis inſigni ſerum ex uterinis ſedibus deturbantia. Dein *purgantia hydragoga*, reſina jalappæ & ſcammonii, ☿ius dulcis, gummi guttæ, extract. elaterii, extract. panchymagog. Croll. trochisc. alhand. pilul. hydropic. Bontii, Apozema purgans Hartmanni prax. chymiatr. cap. CLXXXVII. §. 13. Electuar. de ſucco roſar. Elect. hydragog. Sylvii, item *clyſteres* ad imitationem Cl. Deckeri in Not. ad prax. Barbettianæ lib. IV. cap. IV. componendi & injiciendi, *diaphoretica potentiora* e. g. Decocta ligni ſancti, juniperi, ſaſſafras, rad. ſarſæparillæ, chinæ, graminis, eſſentia lignor. compoſita, Tinctura ♂ii ♀ſata, Tinctura bezoardica Michaël. ♎us bezoard. Buſſii, &c. *Diuretica ſtimulantia*, lixivium benedictum Mynſichti, ♎us aperitivus Penoti, ♎ ⊖✳ci ſuccinatus, ♀us ♀ſatus ſolubilis, ⊖ polychreſtum le Mery, liquor ☾fixi ℔. alkaheſt Glauberi, Borax Veneta, &c. ac *Veſicatoria* cruribus & brachiis imponenda; nec non *cucurbitulæ cum ſcarificatione* interſcapulio vel prædictis locis imponendæ. *Venæ Sectio* huc vix quidpiam conferet, niſi ex menſium & lochiorum ſuppreſſione malum ſubſecutum fuerit, parca nihilominus manu celebranda. Inter *alterantia* autem quænam profutura ſint, paulò poſt ad Indicationem tertiam declarabo, ſi id tantùm monuero, felici copulâ alterantia & purgantia jungi ſibi invicem poſſe, ſicuti pro exemplo eſto ſequens *Vinum medicatum*:

℞. Rad. enul. trifol. fibrin. petroſelin. irid. noſtrat. āā ℥iij. Herb. abſinth. card. benedict. agrimon. Fol. Soldanell. Summit. centaur. minor. hyſſop. āā. Mß. Flor. geniſt. cichor. āā. Piij. Bacc. juniper. ℥ij. Sem. dauci. fœnicul. dulc. āā. ℈iiij. Cort. Winter. aurant. extim. flav. āā. ℥iiß cinamom. opt. ℥i.

Inciſ. & contuſ. dentur ad ſacculum pro vini Menſurâ unâ cum dimidiâ.

XXI. In-

XXI.

Indicationi ſecundæ proſpiciemus per *injectiones uterinas* ex rad. aſari, cyclaminis, bryoniæ, fol. ſabin. lauri, roriſmarin. ſummit ſerpilli, origani, ſpicæ, pulegii, ſemine aniſi, cum urina pueri coquendis, additis dein oleo irino, atque elaterii ʒß. Peſſaria ex ☽i ϶ß. colocynth. ellebor. alb. ãã. ʒj. cum ſ. q. mellis paranda ex *Mercuriali* proponit *Primeroſius* l. c. ex colocynthid. extr. ellebor. nigr. ãã. ʒß. cum pulpæ caricarum pinguium ℥ß. vel q. ſ. conficienda deſcribit *Etmüllerus*: Vel, ℞. Colocynth. mechoacann. alb. ãã. ʒj. ☽j. ϶ß. Mellis cocti q. ſ. F. Peſſarium ſantalo rubro obducendum & ſinui pudoris indendum.

XXII.

Indicationi tertiæ ex aſſe ſatisfiet *per ſtomachica aromatica, incidentia, anticachectica, ♂ia, ⊖ina volatilia o°oſa, amara & ⊖ina volatilia acria ac antiſcorbutica*, qualia quidem habentur Pulv. ſtomachicus Birckmanni & Mich. Spec. diacalaminth. imperatoris, aromatic. roſat. & caryophyllat. pulv. cachecticus Quercetan. ♁ ♂ale diaphoret. Ludovici, ⊖ volatile o°oſum Sylvii, ⊖ volat. o°oſum aromatic. in Collectan. Leidenſibus deſcriptum, Eſſentia trifol. fibrin. Eſſentia abſinthii compoſita Wedelii, ♎us cochleariæ, ♎us naſturtii, Eſſentia pini antiſcorbutica, & ſimilia plura.

XXIII.

Pro uteri autem *tono firmando* ad *Thermas* ♀eas & ☽ſas veluti ad ſacram ſalutis anchoram confugiendum erit; quod ſi verò illas adire, aut loci diſtantia, aut fundi parſimonia, aut corporis debilitas vetaverint, *balnea* & *inſeſſus* ex foliis lauri, ſalviæ, rorismarini, betonicæ, agrimon. menthæ criſp. meliſſ. artemiſ. herb. origan.

ſerpill. puleg. flor. chamæmel. melilot. ſambuc. ſem. carvi, bacc. juniper. adjectis in certa proportione 🜍e communi, One & ⦶ro. Poſt horum uſum dein inungatur regio hypogaſtrica & pubis cum oleo laurino, lilior. albor. ebuli, irino, admixtis oleorum deſtillatorum carvi, aniſi, ſaſſafras, juniperi, ſuccini, angelicæ aliquot guttulis; vel applicetur *Emplaſtr* hydropicum Auguſt. à Zvvelfero correctum, carminativ. Sylvii, Emplaſtr. de baccis lauri cum ſtercore vaccino & columbino ſicco aliisque compoſitum Fr. Deckeri l. c. Nec *ſuffitus* negligantur ex Tacamahac. gumm. juniper. animæ, maſtiche, olibano, thure, ſuccino, ſtorace, utero admittenda.

XXIV.

Atque, cum remediis hucusque prolatis, exacta *Diætæ* obſervanda ratio, amicè ad ſalutarem obtinendum effectum conſpirare debet. *Aër* igitur eligatur ſerenus, temperatus, ad calidum tamen magis vergens. *Cibi* aſſumantur boni ſucci & facilis concoctionis, aromatibus modicè condiendi, aſſandi potius quàm elixandi, vernô tempore turiones lupuli, item ruſci germina cocta menſæ apponantur, imò cum *abſtinentia* multi & magni morbi curentur, hæc quoque præſcribatur. Vinum abſynthites, à *Rhodio* Centur. III. Obſerv. XIII. aliàs in hydrope comprobatum, concedatur, ut & Rhenanum vel Moſellanum parcè tamen bibendum, quippe juxta *Hippocratem* lib. V. Epidem. Sect. XXVII. l. 3. & ſeqq. aliàs aqua inter cutim laboranti utile eſt parco potu uti, & corpus laboribus exercere, ac corpus movere. *Somnus* quoque auxilio ſit alternas ſervans cum vigiliis vices. *Excernenda* per tranſpirationem inſenſilem, ſudorem, urinam, alvum, menſes, hæmorrhoides

des in aſſuetis, lochia, ad conſuetas naturæ leges revocentur. *Animi* denique *paſſiones*, ſanguinis & ſpirituum activitatem vel ſupprimentes, vel disperdentes, evitentur.

XXV.

Coronidis loco notetur, equidem nonnullos cum *Aëtio* peculiarem hydropis uterini ſpeciem facere illam, quando in illo generantur corpuſcula quædam veſicæ fellis ſimilia, in quibus tumor colligitur, qui effuſus viſcidus & aquoſus ſit; verùm enim verò talis aut conſtituetur ab *hydatidibus* ſucceſſu temporis ruptis majoribus, aut fortean haberi poterit *pro molâ veſiculari ex hydatidibus* conſtante, cujus exemplum vid. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VIII. Obſerv. L. p. 131. & Dec. III. Anni IX. & X. Obſerv. CLIX. p. 288. , quin & *partum mendoſum hydatidum* eruditiſſimè deſcripſit Excellentiſſimus Dn. D. HOFFMANNVS noſter, Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Anni VI. Obſerv. CLXIV. quæ unà cum annexo ſcholio legatur. Ego verò nunc receptui cano, & Divini Numinis ineffabilem gratiam perpetuo celebraturus ore, quam in hunc usque diem mihi clementiſſimè largitus eſt, Benevolos Lectores, ut me audire, & ſi quid ſcripſero, quod ipſis displicuerit, vel parùm gratum fuerit, ignoſcere velint, obteſtor.

TANTVM!

Ira-

IRacundior Hadria
Qvid morbus valeat, qvo ſeqvior gravem
Sexus jam ingluviem luit,
Dudum commeritam malo ab Edenico,
UBELMANNE, doces. Probant
Hoc Permesſiadum carmina ter trium,
Ac te finibus Isſicis,
Auctum Pæoniæ jure Licentiæ,
Reddunt nunc Epidaurii,
Multùm propitio Numine, Præſides.

Gratulabundus ita novis honoribus Nobiliſſimi Domini Doctorandi UBELMANNI, ejusdemq; non malè, verum κατ' ἀντίφρασιν omnia apud nos bene facientis, applaudebat

CHRISTOPHORVS Sonntag / D.
h. t. Univ. Rector.

SPonſus eras nuper, jam Doctorandus, Hydropem
Uteri dolentis explicans.
Omen ineſt felix, vinclis qvae ſvavia taedas
Jungunt Tuis Honoribus.
Sis morbi fauſtus Dominus, ſis fauſtus Apollo
Hydropa qvi minuat, fuget.

Honoris & Amoris ergò
ſincere applaudit

JOH. GEORG. FICHTNER, D.

Ad Nobiliſſ. & Clariſſ.

DN. DOCTORANDVM,

Affinem ſuum honoratiſſimum
Inauguraliter disputaturum

VOTIVA ACCLAMATIO

A *Te deſcriptus* matricis turgidus hydrops
UBELMANNE boni *eſt* ingenii ſoboles;
Femineum *relevare* malum *ſimul arte peritum*,
Atq; bonum *hoc ſpecimen Te probat eſſe* Virum.
Jam dum detumuit ſuffusâ venter ab undâ,
Mox Praxis *felix* mille bonis ſcateat!

JOH. MAVRIC. HOFFMANNI D.

DIrus hydrops uteri, qvo non magis arduus alter,
Qvem docte retegis, qvemqve fugare doces,
Ingenii vires prodit, venturaqve ſpondet
E caſtris medicis plura trophæa Tibi.

Clariſſ. Domino Candidato
boni ominis & gratulationis ergo
l. mq; ſcrib.

JOH. JAC. BAJERVS, D. & P. P.
Facult. Med. h. t. Decanus.

REcte peſtis atrox Hydrops vocatur,
Praeſertim qvi uterum gravat malignis
Undis. Hinc adeo malum hoc gemendum
Dum prodis, medium docens fugandi
Iſtud VIR bonus es, Bonusqve Doctor.

Suffragaturus Praenob.
Dn. Doctorandi Honoribus
am. m. ſc.

M. JOH. MICH. SONNTAG,
Al. Nor. & Oecon. Inſp.